

Q. F. F. Q. S.

SPECIMEN COMMENTATIONIS

In bina loca

OPTICES

ISAACI NEWTONI,

Quod

Suff. Ampl. Fac. Phil. in Reg. Acad. Aboensi.
PRÆSIDE

Amplissimo atque Celeberrimo VIRO

M^{AG.} NICOLAO HASSELBOM,

Mathem. Profess. Reg. & Ord.

PRO GRADU

publice ventilandum sedit

STIPENDIARIUS REGIU.

JACOB GADOLIN J. F.

BOREA FENNO

die. I. Iulii A o MDCCXLV. horis p. m. solitis.

ABOÆ, Excud. JOH. KIÆMPE, Reg. Ac. Typ.

Sacrae Regiae Majestatis
SUMMÆ FIDEI VIRO,
SENATORI REGNI
Et
REGIÆ CANCELLARIÆ CONSILIARIO
Atqve
Supremo Aulæ MARESCHALLO
Et
Reg. Academ. Aboënsis CANCELLARIO
Illustrissimo & Excellentissimo
COMITI ac DOMINO
DN. CAROLO
GUSTAVO
TESSIN,
EQVITI AQVILÆ NIGRÆ
MÆCENATI SUMMO.

IN Te, Celsissime Comes, suspicimus & mi-
ramur exemplum perfectionum, que hominem

exora

exornare possunt, maximarum. Non enim natura
solum Te tot instruxit donis, ut iis ad cumulum
nihil addi posse, verum etiam Tute illis ita usus
es recte atque sapienter, ut per hominem nihil su-
pra fieri queat. Hinc factum est, ut splendidissi-
mis admotis munieribus rem publicam officiis Tuis
reddideris Tibi obstrictissimam, Tuaque opera
ubius magni admodum estimetur, neque aliud
civem, quam Te, magis Patriæ invideant ini-
mici. Quanto literas complectaris amore vel exinde
patet, quod ad scientiarum fastigium, quod tenes,
adscenders alii vix licet; Et quantum in Te
Mecenatem habeant literarum cultores, ejus rei
plurima existant documenta. Igitur cum tantus
sit nominis Tui Splendor, tanta virtutis gloria,
tantum gratiae lumen, non potest non civitas
nostra Academica vehementer sibi de eo gratulari,
quod Te, Celsissime Comes, ad sui guberno-
nacula sedentem videat. Letantur certe atque
exsultant cives nostri universi, dum in memorem
revocant Te, Celsissime Comes, Heroicum illud
Et prorsus magnificentum SUUM Cuique Et in
animo Et in signo gerere. Proinde neque mireris
me homunculum hanc arripuisse occasionem effici-
en.

endi, ut qualisunque hic ingenii mei fœtus, ut
primitia Cancellariatus Tui, nomine superbiat
Tuo; verum quod idem non sit maturitatem ad-
secutus justam, id fatis meis, non mihi, clemen-
ter tribuas, submisso oro atque contendeo, qui pro
perenni Tufo flore ad DEUM T. O. M. cali-
dissima fundens vota, dum vixero, manebō,

ILLUSTRISSIMI atque EXCELLENTISSIMI
NOMINIS TUI

Subiectissimus cliens
JACOB GADOLIN.

otio
utriusque

utriusque
utriusque

utriusque
utriusque

Isaacus Newtonus, eques auratus, natione Anglus Prof. Mathem. Cantabrig. primum, dein Praefectus rei monetariae, atque Praeses tandem Soc. Reg. scientiarum, vir & fide & moribus antiquis, & summa modestia fuit. Siue Calculum Mathematicum in genere spectes, siue Mechanicam atq; Hydraulicam, siue Astronomiam, siue Opticen, aut Physicam integrum, ejus nova ubique inventa prorsus praeclara & admiranda exstant. Pietatis erga DEUM documentum est, quod ex phænomenis de DEO differere, ad Philosophiam Experimentalēm pertinere judicaret. Verba ita sacent: *Philosophia Naturalis id revera precipuum est officium Dei finis, ut ex phænomenis, fine fictis hypothesis, argumentis, & ab effectis ratione progredeamur ad causas, donec ad ipsam rem omni dubio mechanica non est) perveniamus; nec mundi mechanismum solummodo explicemus, verum etiam insuper & precipue ut hæc & hujusmodi questiones tandem expediamus;* *- - - - - Eiri ne potuit ut oculus sine Scientia Optica fuerit constructus? Aut auris, sine intelligentia Sonorum? Sc.*

De hoc viro, quem seculi gentisque sua Decus egregium vocat, ita cecinit Edmundus Halley:

Talia monstrantem justis celebrate Camænis,
 Vos qui cœlesti gaudetis nectare vesci,
 Newtonum clausi referantem Scrinita veri,
 Newtonum Musis carum, qui pectori puro
 Phœbus adest, totoque incessit Numine mentem:
 Nec fas est proprius Mortali attingere Divos.

COMMENTATIO PRIOR.

S. I,

Illustr. Newtonus Optic. lib. I. Part. I. Prop II. Experi-
 rim. III. in eo occupatus est, ut ostendat lu-
 men solis constare ex radis diverse refrangibilius,
 quocirca occurunt nonnulla, quæ ab Auctore suppo-
 nuntur atque lectorum relinquntur judicio; illis ipsis
 aliquantulum forte illustrandis, quæ sequitur, levis no-
 stra Commentatio inserviet. Experimentum hue reddit,
 scil.

Si primate vitreo trigono, cuius latera bene polita
 sunt, excipiatur lumen solis, per rotundum fene-
 stræ operculi foramen, in cubiculum tenebricosum
 immatum, atque ad prismatis axem, seu lineam, quæ
 secundum longitudinem per medium ejus ducitur, per-
 pendiculare; observatur lumen per prisma transmissum
 a recta linea refrangi, atque si in chartam vel oppo-
 situm parietem, ad maiorem quamvis distantiam nor-
 maliter incidat, oblongam & iridis coloribus distinctam
 imaginem exhibere. Latera imaginis terminantur lineis
 rectis parallelis, extremitates autem utraqve extrorsum
 prominentibus semicirculis, estque longitudo latitudi-
 nis

nis fore quintupla, & quinquefere major, quam diametrum ejusdem luminis charta similiter excepti ad eandem a foramine distantiam, remoto prisme. Qvod si lumen illud solare satis oblique in primum prismatis latus incidat, & prisma deinde circa axem lente convertatur, ut lumen minus obliquum evadat, vel ad alteram etiam partem faciei prismatis inelinetur; lumen quidem transmissum accedendo aut recedendo a loco, in quem abiente prisme incidisset, situm suum mutat, semper tamen oblongam ejusmodi atque coloratam exhibet imaginem. Spectaculum hoc visu admodum jucundum est. Colores exhibiti sunt violaceus, indicus caeruleus, viridis, flavus, aureus & ruber, quorum primus maxime, ultimus minime distat a loco luminis refracti. Si vas ex politis vitri lamellis, in formam prismatis, conclusa intus aqua, conglutinatis, loco vitri solidi, adhibetur, similis plane est experimenti exitus secundum proportionem refractionis. Itaque cum abiente prisme, rotunda seu foraminis similibus fuisse hanc imago, queritur quanam sit hujus Phænomeni ratio, in primis vero num figura prismatis in eausta sit, cur in longitudinem extendatur? (*) vel utrum ex congenita quadam radiorum luminis proprietate id fiat, ut qui diversorum colorum sensum in nobis excitant, diversa ratione in lateribus prismatis refringantur, atque ordine juxta se invicem positi oblongam sic efficiant imaginem.

(*) Falso quidem prisme, quatenus est medium magis refringens quam aer circumiectus, a recta linea refringere illud lumen; verum quod ejus figura triangularis non efficiat ima-

Unicum tantummodo prismatis positum considerabis-
mus. Cum enim idem semper sit phænomenon; si in
uno prismatis positu demonstrari queat, ex figura prismati-
cis intelligi non posse, cur oblonga sit imago, sed ali-
am quamcunque esse hujus rei causam, utique eadem
in omni prismatis positu erit ejusdem phænomeni cau-
sa, nisi ejusdem effectus caussas voluerimus plures com-
minisci.

§ II.

Supponamus igitur radios luminis refrangibilitate non
differre, sed eandem esse omnium refractionis ra-
tionem constantem, & videamus quid valeat figura
prismatis. (*)

I:o Qvia radius luminis ex ære in vitrum transiens
versus perpendiculum refringitur, quamcumque fuerit e-
ius ad superficiem vitri obliquitas, illud semper ingre-
ditur; contra vero lumen ex vitro in ærem non e-
merget, nisi detur quidam sinus, qui ad sinum inci-
dentiæ radii intra vitrum positi sit in illa data refra-
ctionis ratione.

II:o Sit itaque (Fig. 1.) a b c planities triangula ani-
mo concepta, qua prisma ea sui parte, per quam lumi-
nis pars media permeat, transversum fecetur; d f, radi-
us quidam incidens; e g, normalis ad latus prismatis
in puncto f.; f i, radius in f. refractus; i l, radius ex
prisma-

ginem istam oblongam, id forte gratia non concedetur.
(*) Phænomena refracti luminis non ignorarunt veteres,
prout constat ex Euclidis Specular. ubi hæc leguntur verba:
Si in vas quidpiam projectum sit, acceperitque inter-

prismate emergens, postquam in puncto i. iterum ad easdem partes refractus est; (*) k h, normalis ad latum prismatis in puncto i. His positis, erit summa angulorum g f i. & h i f. æqualis angulo a c b. Etenim demissa ex vertice e. ad refractum radium f i. normali c m, erit angulus h i m. æqualis ipsi i c m, quia uterque est

vallum, ut minime videatur, codem existente intervallo, si aqua infundatur, injectum spectabitur. Esse vero constantem refractionis rationem, recentioris avi inventum est, quod Willebrordo Snellio deberi eruditissimis fatentur, sotergue vitio veri Cartesio, quod suppresso inventoris nomine, pro suo invento id venditare videatur.

(*) Supponimus radium d f cadere inter latus b f & perpendicularē f e. atve ita proportionatos esse angulos d f e & a b c, qui voratur angulus refringens prismatis, ut radius refractus f i. cadat inter normalem h i & latus i c, neque maiorem habeat incidentia angulum f i h, quam ut in aerem emergere queat; Constat certequin, quod, posita ratione refractionis ex aere in vitrum ut 3. ad 20, si prismatis visus angulus refringens vel minor sit vel non mutum excedat gradus 40, & si angulus d f b. vel admodum magnus, vel admodum exiguis sit, posse radius lumen ad partes contraria refringi in duabus prismatis lateribus; verum quia non solum in intermediis istis radiis d f & obliquitatibus ad latus b f. sed etiam semper in primis, quorum angulus refringens excedat gradus dictos, ad easdem partes refractiones sunt, tuto hoc supponi possunt. Quod sic tamen angulus refringens multum excedat 80. gradus, eadem servata refractionis ratione, lumen non transmittitur per binas lateras illius angulum continentias, utcunque illud vel directe vel oblique in latus prismatis incidat.

est ejusdem in i.e. complementum ad quadrantem; ex eadem ratione gfi. & in c.f. inter se æquales sunt, cum sit uterque ipsius in f.c. complementum ad quadrantem, ideoque hic f. & gfi. simul sumti æquales sunt toti angulo a c b. (*)

III:o Qvod si concipiamus, fixo manente radio d.f. converti prisma circa axem suum, utique simul augmentur vel minuuntur anguli dfe. & gfi; et contrario autem simul minuuntur vel augmentur anguli hic f. & lik, nam sinus istorum angulorum in data sunt ratione, atque gfi. & hic f. simul sumti æquales sunt angulo constanti a c b.

IV:o Patet quoque, dum prisma ita convertitur, fieri ut gfi. æqualis evadat dimidio angulo a c b, quo facto alter hic f. itidem est dimidio a c b. æqualis, (per II.) nec non angulus incidentia in primum prismatis latus dfe. æqualis angulo refractionis lik, sub quo ex ulteriori latere prismatis emergit radius luminis, angulus fixus quoque æqualis angulo fixus, continuatis videlicet lineis d.f. & li, donec se mutuo intersecent in x, & denique ifc. æqualis ipsi fixe.

V:o Concipiamus porro prisma ex hoc positu ita converti, ut augeatur angulus dfe. pro lubitu, non tamen magis, quam ut ad easdem adhuc partes in ulteriori prismatis latere radius emergens refringatur, evadit tunc angulus lik. minor quam dfe (per III.), & potest ad quodlibet in latere prismatis punctum n, quod inter basis ejus a b. atque punctum f. jaceat, incidere radius lumi-

(*) Quando autem ad contrarias partes in lateribus prismatis radius luminis refringatur, est differentia angulorum,

luminis d n. efficiens cum latere prismatis b n. angulum
d n b. æqualem angulo l i s, & proinde habens angu-
lum incidentia d n q. æqualem ipsi t i k, itemque, si
n o, designet lineam, in quam refringitur radius d n,
angulum refractionis r n o. æqualem angulo h i f, nec
non angulum incidentia in latus prismatis ulterius t o n
æqualem angulo g f i, atque angulum refractionis p o s,
sub quo ex ulteriori prismatis latere emergit, æqualem
angulo d f e; emerget autem radius hic ex prisme,
quia æquales sunt anguli t o n. & g f i, nam per eas-
dem aut similiter positas lineas lumen semper move-
tur, a quacunq; parte procedat. Et hæc quidem ita se ha-
bunt, quia eadem ubique est ratio refractionis, suntq; an-
guli r n o. & t o n. simul sumti æquales angulo a c b. ex
eadem ratione, qua id ostensum est de angulis h i f. &
g f i. (per II). Secabit vero radius d n. priorem illum
d f. in quodam punto, d; est namque angulus d f e.
major quam l i k, (per num. III.) qui æqualis est ipsi
d n q. idoq; d f e. major quam d n q; & per conse-
quens angulus d f n. minor quam d n b, quia hic mino-
ris, ille majoris anguli est complementum ad quadran-
tem. Igitur cum summa angularum d n b. & d n f. æ-
qua.

qui continentur ratio semel refracto i f. atque normalibus
ad binâ prismatis latera per incidentia puncta ductis, æ-
qualis angulo prismatis refringenti a c b Atque hic casus negre
illucrat ea, qua habentur in cit loc. anterioris, neque sine pec-
catori figura considerari potest, ideoque amissi posse
videtur.

qualis sit duobus rectis, erit summa angulorum d f n.
& d. n f. duobus rectis minor & concurrente lineæ n. d.
& f d. in d, prouti in figura sunt delineatae; & angulus
n. d f. major vel minor erit, prouti magis vel minus
ex ultimum nominato positu prisma detortum fuerit,
apparet namque n. d f. esse differentiam angulorum d f
e. & l i k.

VI. His positis, erit in medio quodam loco inter
puncta n & f, tale punctum, in quod si ex d, incidat
radius æquilateris is in utroque prismatis latere re-
fringetur (per IV.). Iste enim radii angulus in-
cidentia minor erit quam d f e, & major quam d n q,
(per V.).

VII. Designent jam d n. & d f. radios illos, qui in
triangula prismatis sectione terminant extremitates lu-
minis per fenestræ operculi foramen in cubiculum im-
missi, atque ex iis, quæ jam dicta sunt, facile intellige-
tur, esse omnino prisma, dum circa axem convertitur,
aliqvando in eo ad radios d n. & d f. positu, ut, pro-
ductis lineis d n. & o p, donec se mutuo intersecent in
v, anguli o n v, & f i x, itemque v o n. & x f i. æqua-
les sint; sunt enim hi anguli differentia angulorum in-
cidentia & refractionis in punctis n. i. o. f. respectice.
Atque hic est ille prismatis positus, qui nobis usu ve-
nit, cujus proinde possilitatem & existentiam inpri-
mis demonstrari oportebat.

S. III.

IN hoc prismatis ad lumen Solis positu, quæ modo
diximus, per figuram prismatis divergentia radio-
rum luminis, ceteris paribus, non mutatur. Scilicet
quia angulus d f e, æqualis est angulo p o s (per num.

9

V. §. præc. 3, vel ejus verticali cov, etiam d f n. atque voi, qui sunt illorum complementa ad quadrantem, æquales erunt; angulus quoque d n b. æqvatur ipsi l i a, seu hujus verticali xic, atque proinde d n f. & x i o, eorum complementa ad semicirculum, inter se æquales sunt. Verum cum sit d n f. triangulum quoddam rectilineum, quod comprehenditur recta n f. in latere prismatis posita atque radiis d n. & d f. ex eodem punto d. divergentibus, hujus autem trianguli omnes tres anguli simul sumti æquales sint duobus rectis; erunt duo anguli d f n. & d n f, vel voi. & x i o, qui illis per demonstrata æqvantur, duobus rectis minores. Itaque cum recta o i. incidens in duas rectas p v. & l x. internos & ad easdem partes angulos duobus rectis minores faciat; duæ p v. & l x. productæ ad easdem partes, ubi sunt anguli duobus rectis minores, sibi mutuo incident in quodam punto z, contineantque angulum pzl. æqualem angulo n df, necesse est. Hinc facile patet singulos quoque intermedios radios non solum æqualiter ante & post prisma divergere, sed etiam similiter intra illos, qui ab utraqve parte sunt, extremos positos esse; omnes enim eadem refractionis lege tenentur.

S. IV.

Restat adhuc illud dubium, quod, licet per figuram prismatis non augeatur angulus, sub quo radii luminis a se invicem divergunt, poterit tamen forte, simul atque situs ipsorum mutatur, punctum illud dispersus enormiter removeri in majorem a prismate distantiam, unde fiat ut in longitudinem extendatur imago, transmissa per prisma lumine. Si enim quantum distet punctum z, ex quo radii post prisma

A

disper-

disperguntur, a charta, qva excipitur lumen transmisum, qvam ab eadem charta distat punctum d, dum absqve prismate similiter excipitur lumen irrefractum, utiqve in priori casu radii z p. & zl. quintuplo magis in charta a se invicem distabunt, qvam distant iidem radii in casu posteriori. Hoc autem dubium ut tollatur, sufficiat nobis breviter ostendisse punctum dispersus z, saltim qvoad sensum, æqualiter cum puncto divergentiae d. a prismate distare. Scilicet qvia anguli v d x. & v z x. sunt æquales, patet puncta v. d. z. x. esse in circumferentia eiusdem circuli, & esse qvoqve angulos d v z & d x z. inter se æquales. Etiam triangula o v n. & i x f. similia sunt, ob æquales angulos v o n. & i f x, itemqve v n o. & fix. [per num. VII. §. ii.]. Qvod si concipiamus minui atqve evanescere angulum n d f, seu radios d n. & d f, manente qvam num. V. §. ii, adstruximus eorum relatione ad se invicem, magis magisqve accedere verius intermedium istum locum, in quo æquales sint refractiones in utroqve prismatis latere (per num VI. cit. §.), donec tandem fere coincidant; evanescet simul & qvidem multo magis angulus y. sub qvo ad se invicem inclinantur radii refracti o n. & i f; constat enim radios divergentes, qvi in medium magis refringens superficie plana terminatum transeunt, minus divergere post refractionem. Igitur lineaæ o n. & i f, dum admodum exiguis sit angulus n d f, pro parallelis, atqve anguli eno, con, cif, e fi, itemqve anguli v o n. & v n o, x i f & x f i, ob refractiones ubique ad æqualitatem qvam proxime accidentes, pro æqualibus haberi possunt. Præterea cum simul evanescat angulus z, utpote semper æqualis ipsi d. patet valere proportionem e o : c i

11

Nov: xi, unde sequitur rectam vx, transire per verticem c; atque hinc porro intelligitur facile, eandem xv. continuatam, donec fecet rectam o.n. in u, bifariam secare angulos ix f. & ovn; quo facto erit angulus fxv æqualis angulo ovu. vel ejus verticali xvz, ideoque angulus dvx, qui est summa angulorum dvz. & zvx, æqualis angulo zxv, qui est summa angulorum zx d. & dxv. Erunt igitur triangula dvx. & zxv. similia, quæ cum eidem circulo quoque inscribi possint, æqualia etiam erunt, adeoque latera homologa zv. & dx. æqualia habebunt, hoc est, punctum dispersum in z cum puncto divergentiæ in d. æqualiter a prisme distabit.

Posse autem hypothesin de admodum exiguo angulo ndf, applicari ad materiam præsentem, vel exinde patet, quod radiorum solarium per foramen intromissionum divergentia maxima sit non nisi dimidii fere gradus, scilicet cum ex omni in disco solis apparente punto radii per foramen illud transire permittuntur; verum si foramen ita comparatum sit, ut non nisi ex parte quadam disci solaris emanantibus radiis transitus pateat, multo minor evadet illorum divergentia, sicut imaginis tamen coloratae phænomenon simile observatur.

Aliter idem evincitur absque ista hypothesi. Videlicet similia sunt triangula ynf. & yio. nec non dnf. & zio, ideoque est ut yf. ad yo. ita nf. ad io, atque ita dn. ad iz. At yf. & yo. sola fere prismatis crassitudine differunt, est autem dn. minor quam yf, quod vel exinde intelligi poterit, quod triangulorum dnf. & yfn. super eadem basi nf. constitutorum minor sit angulus ad y, quam qui est ad d, &

angulus y & n. proprius quantitate accedat ad rectum quam dñ, ob refractionem versus perpendiculum faciat; ergo multo adhuc minor erit differentia linearum dñ & i z, hoc est, distantia inter punctum divergentiae radiorum & primum prismatis latus parum admodum differt a distantia inter punctum dispersus radiorum, quod quidem non nisi imaginarium est, & latus prismatis ulterius.

Haud quidem difficile fuisset idem hoc simul ostendere, de omni prismatis ad lumen solis positu, ad imitatem eorum, quae adfert G. J. Gravesande in *Chol. c. VII, lib. V. Introd. ad tabl. Novi, edit. tert.*; sed rem delicatissimam ulterius prosequi proposita nobis brevitas vetat. Quo modo autem insuper & plura experimenta & mathematicas ratiocinationes adhibendo, demonstraverit Illust. Auctor in loco supra cit. atque passim in toto libro *Optics*, esse lumen solis compositum ex radiis diversa refrangibilitatis, ideoque falsam esse, quam §. II. adsumsus, hypothesin, id quidem ex ipso fonte haurire forte praestat.

Com-

* Inservit quoque bac Commentatio intelligenda est, que occurunt apud Auctorem I. c. Experim. V. p. m. 27. ubi auseatur, collocato vitro objectivo telescopii in foramine fenestra, penitus fuisse sublatam penumbram, que rectilinitis imaginis oblonga lateribus ceteroquin adhaeserat. Postquam enim per lentes radii, e quotibet in disco solis punto emanantes, in rotidem correspondentia puncta colliguntur ad constituantem solem imaginem sine ulla penumbra, necesse est, ut interposito inter lensem & imaginem primum, imago oblonga itidem penumbra careat. Videlice concipiendum est, in figura nostra, lumen ex altera parte in prisma incidens, ita ut p. 2.

COMMENTATIO POSTERIOR.

§. I.

Postquam supra citato loco Prop. VI. Exper. XV. illustr. Auctor ab experimentis collegisset sicutum incidentiae ejusque radii solarii seorsum esse ad sicutum refractionis suae in data ratione, idem ulterius mathematice demonstrat ex hac suppositione; corpora lumen refringere agenda in radios ejus in linea ad superficies suas perpendicularibus, atque in hujus demonstrationis usum sequentem subjecit propositionem:

Si quicunque motus, aut corpus motum quocunque, incidat quamvis velocitate in quodvis latum & tenuem spatium, duobus planis parallelis uniusque terminatum, inque transitu suo per istud spatium, urgeatur perpendiculariter versus uterius planum quatuor vi, que, datis distantias ab isto piano, sit datarum quantitatum; perpendicularis velocitas istius motus, aut corporis, tum cum emerget ex eo spatio, semper aequaliter erit radici summa ejusque, que composita sit ex quadrato perpendicularis velocitatis, quam habebat iste motus, aut corpus, tum cum incideret in istud spatium, & ex quadrato perpendicularis velocitatis, quam idem motus, aut corpus, haberet

tunc

Et 1z representent radios, qui in lenie facti sunt convergentes ad punctum 2. Licitur cum, prout antea monimus, eadem sit luminis via, a quaunque parte procedat, non possunt non idem luminis radii in prisma refracti iterum convergere ad punctum d, bant aliter ac radii ex d. emanantes, postquam in prisma refracti fuissent, ex punto 2. dispergebantur. Unde patescit imaginem oblongam, qua sic ad punctum d. fissitur, carere penumbra, perinde ac illam, quae, remoto prisma, ad punctum 2. exhibeatur.

cum, cum emerget, si perpendicularis ejus velocitas cum sum incideret, infinite parva fuisset. Cum vero noluerit auctor apponere demonstrationem hujus propositionis, eam in sequentibus qualitercunqve explicare annitar.

§. II.

UT aestimari queant vires acceleratrices, quatenus in quolibet instanti quocumque mobile ad ulteriore motum utcunqve sollicitant, concipiendæ sunt ista cum actiones, quas in mobile excent, quasi impulsus numero infiniti & post infinite parva temporis intervalla applicati. Itaque, miséra in compendiali re, cum instantaneæ istæ vires, seu caussæ it pulsuum, tanto censemantur majores, quanto, ceteris paribus, majora generant velocitatis incrementa; ast si velocitatis incrementa æqualia fuerint, tanto majores, quanto minori tempore ista incrementa velocitatis adferuntur; erunt in genere, si magnitudo ipsius mobilis non spectetur, vires ita consideratae directe ut incrementa velocitatum & inverse ut tempora.

§. III.

Si mobile quocumque incidat in quodvis spatium duobus planis parallelis terminatum, cum infinite parva velocitate ad ista plana perpendiculari, urgeaturque normaliter versus ulterius planum continuâ quadam vi, quæ in datis ab isto plano distantiis datarum sit quantitatum; erit quadratum perpendicularis velocitatis, mobili adqvusatæ, ut area, quam, durante motu, vertit recta linea, quæ mobili alterâ sua extremitate infixa concipitur, & quæ ubique vi urgenti proportionalis, atque planis istis sibiique semper parallela est. Sint enim (Fig. 1.) in istis planis duæ rectæ a h. & b k. parallelæ atque sibi imminentes; recta c e ad has normalis;

23

malis, in qua urgeatur mobile versus rectam b k; quæ autem recta in quovis loco exprimit vim urgentem, ejus alter terminus describat lineam quamcunque l n p q, dum alter tangit rectam c e. seu in punctis e, g, o, e &c. vis impellens sit ut c l, g n, o p, e q, respecti-
ve. Concipiatur iterum hæc vis distincta in impulsus numero infinitos, quibus mobile quasi continuò acceleretur post percursa singula infinite parva spatia; impulsus namque, quorum intervalla in infinitum minuuntur & numerus augetur, pro vi continua haberi pos-
sunt. Itaque, sumto in recta c e. quovis puncto g, sit g o. ejusmodi exiguum spatum ipsiusque c e. pars in-
finite parva; velocitas autem, quam mobile in g. ad-
quisivit, dicatur x, & incrementum illud velocitatis,
quod, absoluto spatio g o, mobili assertur, sit dx, quem-
admodum solent differentiales quantitates designari. I-
gitur quum in motu æquabili sint tempora ut spatia
percursa directe, & velocitates inverse; mobile autem
concipiatur motu æquabili ferri per lineolam g o. cum
velocitate x. erit tempus, quo sic fertur, ut $\frac{g o}{x}$. Est por-
ro (per s. ii.) vis ut incrementum velocitatis dire-
cte & tempus inverse, ac proinde recta g n, quæ per
hypothesin exprimit vim in g, ut $\frac{x \cdot dx}{g o}$. adeoque re-
ctangulum gn. go. ut x dx; duæ nimirum quævis
quantitates in eandem tertiam ductæ eandem inter se
rationem servant. Ast ob lineam g o. infinite parvam,
potest rectangulum g n. go haberi pro figura g
n po, quandoquidem ab ea aut nihil, aut iphus
infinitissima tantum parte differt; ideoque colligendo
utrin-

utrinque summam elementorum habetur, juxta leges calculi integralis, c l n g. ut $\frac{1}{2} \times x$, seu area c l n g. quam verrit recta quæ ubique exprimit vim urgente, est ut quadratum velocitatis, quam mobile in punto g. adquisivit. Atque hinc tandem conficitur idem de quovis punto in isto spacio valere, recta namque c e. quamlibet similiter positam lineam, & punctum g. quodlibet in ea punctum designant.

§. IV.

I:o **G**itur si de recta c e. secerit data quadam pars c l g, & sumatur recta linea s. talis, quæ possit aream c l n g, erit velocitas, quam mobile in g. adquisivit, ut illa recta s.

II:o. Atque velocitas in e. adquisita erit ut recta s. quæ potest integrum aream c l q e.

III:o **Q**uod si concipiamus tolli omnem istam vim, quæ agebat inter cl. & g n; quod in hanc ita immunitam activitatis sphæram incurrit mobile, cum velocitate infinite parva ad gn. normali, emerget illud ex e. cum velocitate, quæ erit ut recta, quæ potest aream gn q e. Sit t. hæc recta, & erit velocitas in e. ut t.

§. V.

Plures easque a se invicem differentes vires ita determinari posse, ut motum corporis cuiuscunque eundem respectu & celeritatis & directionis producant, id forte ultro concedatur. Exempli gratia, si de altiori quodam loco demittatur globus ex quacunque materia constans, qui, vi gravitatis, terræ subjacentis superficiem, cum dato celeritatis gradu, attingat; nihil videtur obstare, quin possit idem globus, eadem ve-

loci-

locitate atque directione, in idem superficie terrestris punctum incurtere, etiam si alia singatur casua motus, ad hunc effectum juste proportionata, v. g. si aut pulvritis pyrii, aut elateris, aut aliis cuiusvis sive unius sive plurium machinarum vi projectus, vel quoconque denum modo ad motum incitatus fuerit. Int. rim, quo id fiat evidentius, positis iis quas §. præc. num. 1. dicti sunt, concipiamus præterea adesse aliam vim uniformiter accelerantem, qua rectæ cd. proportionalis sit, urgeatque itidem secundum rectam c e; si rectas s. possit rectangulum $\epsilon dm g$, æquales erunt velocitates, quas utraque vis mobilis in punto g. acceleravit. Scilicet si per hanc posteriorem vim in g. adquisita velocias dicatur v, ejusque incrementum absoluto spatio go. dicatur dv; erit (per §. 3.) $c \ln g : gn. go :: \frac{1}{2} xx : x dx :: \frac{1}{2} x : dx$, & similiter $cdm g : gm. go :: \frac{1}{2} vv : v dv :: \frac{1}{2} v : dv$.

Est igitur spatium $c \ln g$. æquale ipsi $\frac{\frac{1}{2} x \cdot g \cdot n \cdot g \cdot o}{dx}$,

& $cdm g$. æquale ipsi $\frac{\frac{1}{2} v \cdot g \cdot m \cdot g \cdot o}{dv}$; spatia vero

$c \ln g$. & $cdm g$. sunt aequalia, nam utrumque, per hypothesis, æquatur quadrato lineas s; ideoque $\frac{\frac{1}{2} x \cdot g \cdot n \cdot g \cdot o}{dx}$ æquatur ipsi $\frac{\frac{1}{2} v \cdot g \cdot m \cdot g \cdot o}{dv}$, nec non $x \cdot g \cdot n$,

$d v$. ipsi $v \cdot g \cdot m \cdot d x$. Sed æqualia quoque habent infinite parva illa tempora, qibus velocitatum incrementa dv . & $d x$. sunt, & proinde vires, seu quæ eas exprimunt rectæ lineas $g \cdot n$ & $g \cdot m$, sunt ad se mutuo

ut dx. ad dv. (per §. ii.) ; unde quæ sub extremis & mediis continentur rectangula gn. dv. & gm. dx. & qualia erunt, atque sic tandem intelligitur esse x. & quale ipsi v.

Idem hoc ulterius confirmabitur, per propositionem istam : *Corpus, vel mobile quoacunque, viribus conjunctis diagonalem parallelogrammi eadem tempore describere, quo latera separatis.* Possunt enim ad eandem diagonalem lineam infinita numero describi parallelogramma diversa. Igitur vel hinc haud obscurè concludimus, posse dari plures vires ad eundem motum producendum rite proportionatas, atque, si reliquæ quævis circuistantiae mente removeantur, nihil omnino refertur, quanam causa datum aliquem motum produxerit, nec impedit quidquam, quo minus una eam in locum alterius substituta concipiatur.

§ VI.

PErgratus jam applicando ad propositum, quæ ut præmitterentur maxime e re esse duximus. Nimirum rectæ gn. & bk. sint in istis duobus planis parallelis, quæ utrinque terminant illud latum & tenuem spatiū, cuius mentionem facit Auctor in verbis alatiss. vis autem, quam in eodem spatio quasi residence supponit, sit eadem illa, de qua dictum est § IV. num III. Igitur iste Auctoris motus, aut corpus motum, si cum infinito parva velocitate ad gn. perpendiculari incidat in punctum g, adquiret in e, cum emergeret, velocitatem ut t [per loc. eit.] .

Sic denique velocitas ista perpendicularis, quam Auctor supponit inesse ipsi nobili, dum in spatiū hoc incidit, ut rectæ s, de qua dictum est § IV. num. I; quæcunque hujus velocitatis causa fuerit, potest in locum ejus

ejus substitui illa vis (per §. V.), quæ eandem velocitatem cum eadem directione isti nobili addere sustinet in eodem punto g (per § IV. num. 1.); autem videlicet activitatis sphæra, quæ quidem per hypothesin ultra gn. non extenditur, ita ut pertingat ad lineam c l, juxta hypothesin § III. allatam. Nullum namque periculum est, everti ideo hypothesin priorem, quandoquidem illa immutata manet, licet ipsi adjungamus causæ unius pro altera substitutionem, quod si ri posse antea evictum est. Posito nimis, quod sit mobile in g. cum velocitate ad gn. perpendiculari ut s, perinde est in questione præsenti, quomodo vel ubi locorum istud mobile hanc acquisiverit velocitatem. Quod cum ita sit, ex eadem §. III. concludendum est, esse istius motus, aut corporis moti, velocitatem ad e q. normalem, cum emerget ex e, ut recta r; verum recta r. est radix quadrata summae ejusce, quæ composita est ex quadratis linearum s. & t: ergo perpendicularis velocitas istius motus, aut corporis moti, tum, cum emerget ex e, æqualis erit radici summae ejusce, quæ componitur ex quadrato perpendicularis velocitatis, quam habebat iste motus, tum cum incideret in istud spatum, & ex quadrato perpendicularis velocitatis, quam iste motus haberet tum, cum emergeret, si perpendicularis ejus velocitas tum, cum incideret infinite parva fuisset.

§. VII.

Quod si coincidat punctum n. cum punto g, verbi gratia, (fig. 3.) si ponatur linea g q esse parabolæ Apolloniana, cuius axis sit recta g e. & semiordinatae ad axem exprimant vires agentes; patet quidem talem agendi rationem non posse, iisdem servatis legibus

būs, extendi ultra lineam g m, adeoque demonstrandi medium, quo in §. præc. usi sumus, locum non habere; sed nihilo tamen minus etiam in hoc casu res est salva. Scilicet in harum quoque virium locum substituatur (per § V) alia vis, quæ ubique sit ut recta g m; videlicet si rectangulum g m f e. sumatur aequalē spatio q q e continueturque recta f m ad d, donec rectangulum c d m g. sit ut quadratum velocitatis, quam habeat mobile tum, cum in g inciderit; utique perinde ac in §. præced. veritas propositionis evicta intelligetur.

§. VIII.

Quod attinet verba Auctoris sequentia, quibus asserit, eandem propositionem similiiter veram esse de quovis motu, aut corpore perpendiculariter retardato in transitu suo per istud spatiū, si loco summa binorum quadratorum differentia ipsorum sumatur, peculiariter hæc demonstrare necesse non est, cum eorum veritas vel exinde eluceat, quod in utraque propositione aequalis supponatur vis in mobile agens, quæ proinde non potest non aequalē edere effectum, igitur quantum ea vis, quæ cum priori motu conspirat, auget ipsius mobilis velocitatem, tantum necesse est vis contraria, ceteris paribus, eandem minuat. De certro confer sis Newt. Princ. N. Math. Lib. I Prop. XXXIX & Prop. XCIV. item 'S Graveland. Introd. ad Philos. N-wt. Lib. V. c v. schol.

(*) Auctoris nostri Optice tribus constat libris, qui agunt de Reflexionibus, Refractionibus, Inflexionibus & Coloribus Lucis. Edidit bene Tractatum primum Anglice A:o 1704 atque iterum A:o 1717 præcurisque in Praefatione ad priorem editionem, ne quis, se insciens, eum in aliam sermonem converteret, ideoque non nisi iubente atque approbante auctore Latir




fig. 1.

fig. 2.





fig. 3.



in which case the author of the original work would be entitled to sue for damages. This is known as the doctrine of "copyright". It is important to note that copyright does not give the owner the right to prevent others from using their work, but only the right to prevent others from using it without permission. In other words, copyright protects the author's right to control the use of their work, but does not give them the right to prevent others from using it at all.

In addition to copyright, there are also other forms of intellectual property protection available, such as trademarks and patents. These provide different types of protection for different types of works or inventions.

Questions about intellectual property rights often arise in the context of business transactions, such as mergers and acquisitions, licensing agreements, and joint ventures. In these situations, it is important to understand the legal implications of the intellectual property involved, as well as the potential risks and benefits of different approaches. For example, a company may want to license its intellectual property to another company, or it may want to sell it outright. In either case, it is important to carefully consider the terms of the agreement, including the scope of protection, the duration of the license, and the compensation to be paid. It is also important to ensure that the intellectual property is properly registered and protected under applicable law.

Latinam ejus versionem suscepit perfectaque Sam. Clarke. In experimenta, quæ continent, instituenda triginta annos impendiisse Author fertur; & magna probris atque per omnia retrosecula inaudita, in luminis proprietatibus indagandis explicandasque, praestitissimis Authorum, harum rerum periti & aequi iudices fatentur. Potius quicquid hujus Optics pars Experimentorum recensione absolvitur, multa tamen occurunt, quæ electiores sunt inangulis; prouti enim reliqua Ejus opera, ita hoc quoque eos tantum, qui mathemetatum gnari sunt, juvent. Quod attinet levissimum hocco specimen, pro summa reputaverimus gloria, si vel mentem Authoris rite fuerimus adsecuti, idque solum optamus, velit B. L. juveniles nostros suis minori perstringere censura.

Thes. I.

Visionem fieri radiis ex oculo emissis & in formam coni sece diffundentibus; ideoq; eorum, qvæ sub aspectum cadunt, qvidqvam simul totum adspici non posse contra rei veritatem affirmarunt Veteres.

Thes. II.

Presbytas ejusdem ætatis similia in usum suum conspicilla vitrea feligere debere, inter vulgi eratores reterendum est; perinde enim hoc est, ac si quis diceret, eos qvi eadem sunt ætate similibus semper oculis gaudere.

Thes. III.

Si solis lumen constaret ex radiis tantum homogeneis atque similatibus, omnia objecta, qvæ solari lumine collustrata videntur, nonnisi uno eodemq; colore infecta apparerent.

Thes. IV.

Ut grata mente agnoscere atque debitissimis laudibus praedicare debeanus institutum Cartasii, qvod pro

exi-

exitia, qva pollebat, Geometriæ scientia, in id ingenii nervos intenderit, ut specillorum atqve telescopicorum descriptionem, nec non poliendi modum tradaret, qvo sic maximam adquireret perfectionem; dolendum tamen inanem fuisse Summi Viri operam, cum per naturam luminis multo magis, qvam per figuræ Sphæricæ imperfectionem ad radios rite colligendos, tantis determinatur prærogativis.

Theſ. V.

Lumen haud censendum est ideo reflecti, qvod, quum incidat in corporis superficiem, in partes ejus solidas atqve impervias impingat.

Theſ. VI.

STructura oculi humani ut absqve scientia optices rite intelligi non potest; ita si cognoscatur evidens dat sapientiæ divinæ documentum.

Theſ. VII.

Optica, nemini scientiarum secunda, utut recentiori ævo a suis amatoribus n agno cum molimine atque successu felici exulta fuerit; multa tamen sunt, qvæ adhuc desiderantur. Quemadmodum enim in reliqua scientia Naturali corporum interiora non exhauste Ingenium humarum; ita in Opticis, qvid lumen sit, qvibus viribus moveatur, qvot & qvænam sint ejus attributa &c. homunciones etiamnum latet.

Theſ. VIII.

Ratio, ob qvam aér a nobis non videatur, exinde reddi potest, qvod sit corpus non luminosum, oculum immediate tangens. Unde itidem colligitur, urinatores mari immersos aqvam non cernere, dum ea oculos ipsorum contingit: immo, si concipiamus illæsum

33

sūm hominis caput glacie, vitro vel quacunque materia pellucida circumfundī, non posse glaciem, vitrum vel materiam istam videri, licet utcunque videantur corpora, de quibus lumen trans materiam illam pellucidam ad oculum pertingit.

Thes IX.

Si juxta leges motus, quæ per experientiam innos-
tuere, explicandi sint motus corporum cœlestium,
utique admittendum est spatia cœlestia vacua esse;
Saltem non nisi valde imperitus adfirmaverit ea ejus.
nodi aëre, qualis terram ambit, repleti.

Thes X.

Qui Mathesi imperium in Philosophiam Nat. vindicant, non minus peccant, quam qui Metaphysicæ idem adserunt. Priori modo censuram incurrit Jo. Keil, cum in *teh I. introd ad veram Phys.* adfirmat ex Geometricis solum principiis demonstrari posse, quod luminis calor, frigoris, odorum & istiusmodi qualitatum intensiones sint reciproce ut quadrata distantiarum a puncto, unde procedant; post modi erravit Wolfius, cum ut omnia rationibus sufficientibus me-
tiri videretur, matrrias in Physicam introduxit
interlabentes.

S. D G.



Clarissimo Dn: CANDIDATO Fratri suo germano.

Dum comperio Te, carissime Frater, eruditionis adquise-
te specimina edendo, ad Parnassi collem properare, ut
lauream corollam, signum feliciter exantlati laboris Acad-
mici reportes, dolco verba mihi deesse, quibus tencerrimum
animi affectum exprimere oporteat. Tanto enim majori
exinde afficer gaudio, quanto archiori & sanguinis & sin-
gularis amicitiae vinculo conjuncti sumus, quantoque magis
in recenti est memoria tempus illud iucundissimum, quo an-
te aliquot abbinc annos, conjunctis viribus studia attinge-
bamus Mathematica, que mihi quidem usui non exiguo
jam sunt, dum in Ostrobothniae provincia, ex illorum,
quorum interest, mandato geographice delineanda occupatus
sum. Perge & Tu honestissima Tua conata perficere, &
manebunt Te tandem premia virtute ac eruditione Tua con-
digna, quod toto ex pectore opto, qui sum

TUUS Ex afe
DANIEL GADOLIN.

Eidem

Cum ideo DEUS hominibus rationem donaverit, ut ex o-
peribus ejus admirandis rite perfectis infinitam, ejus
Sapientiam & potentiam intelligerent; cumque opera ejus sint
innumera & unquam possint satis pervestigari, habent hic &
eruditissimi quique palestram, in qua certantes magis magisq;
progrederi debeant. Inter hos Clarissime Dn. Cand. Labore impro-
bo & lucubrationibus multis egregiam tibi comparasti in sci-
entiis plurimis eruditionem; non potui igitur hac occasione
gaudium reticere meum, quod cepi ex felicibus suis progres-
sibus, & laurea ista, qua te propediem omnes ornatum vide-
bunt. Hac Tibi omnia ex animo gratulor, eroque dum vixero

TUI Observantissimus
JOHANNES WELIN.